

bula de sapiente Episcopo regiones perambulante et ad *Adrianum* Imp. misso, ad cuius varia potissimum de Mundi creatione quaesita respondit. Ultimum *Adriani* quaesitum de *Antichristo* est. *Commentaria* porro incipiunt: *Circa initium psalmodum est monstrandum quod titulus huius libri sit talis. Incipit liber ymptorum uel soliloquiorum dauid prophete de christo. liber dicit et non libri contra istos qui dicebant plures esse libros &c.* Ad calcem: *Explicit Anno Domini MCCCCXXIX.*

## CXLIV.

U. 129 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 112. f. nitide, sed minutius exaratus inscribitur: *Pulcherrima Postilla super primum Nocturnum cum bona tabula in fine.* et plenius ad calcem Operis: *Explicit lectura Magistri thome anglici super primum nocturnum psalterij.* Primum Nocturnum priores XXV. *Psalms* intellige. Totum igitur *Psalterium* in VI. *Nocturnos* dividebatur, qui usus ad v. *Nocturnus* in *Ducangii Glossario* non adnotatur. *Prohemium* Operis nobis ita inchoat: *Beatus qui custodit verba prophetie libri huius. Apoc. 22. Crisostomus super Math. in prefacione dicit sic. Quemadmodum non prodest cibus &c.* *Expositio ipsa: Beatus vir &c. Psalmista in principio sui libri pulcherrime et rationabiliter ponit ante omnia beatitudinem &c.* *Definit Opus: Igitur sit nomen domini benedictum ex hoc nunc et usque in seculum.*

Haberes itaque *Commentarium super Psalms F. Thomae Jorgii* (Jorsii, Jorzii, five Joyce) *Anglici Ord. Præd. S. R. E. Card. et Ep. Sabin.* cura F. *Sixti Lambertini Lucens. O. P. Romae* recognitum, et impressum *Venetis* anno 1611. f. cui Editioni *Codex* noster consonat, nisi plures per Bibliothecas dispersi *Codices* autorem praefigerent F. *Thomam Guallensem*, seu *Walleis*, itidem *Anglicum*, itidem *Dominicanum*, et aetate *Forzio*, qui a. 1310. obiit, non multo posteriorem. Inde dubium, quod nec ipsi *Ordinis Bibliothecarii* solvere potuere, ut vides T. I. p. 509. et 598. Nos ultra priores XXV. *Psalms* nihil habemus. Editio *Venetæ Nocturnum* II. addit, sed non integrum; definit enim cum *Psalmo* 37. An etiam Autor hic stiterit, incertum. Interim hoc quoque confusionem induxit, dum Bibliographi alii *Thomam* in XXV. alii in XXVII. alii in XXXVII. *Psalms* commentatum fuisse adferunt, ut liquebit conferenti *Caveum* Vol. II. p. 11. et 32. *Oudinum* T. III. p. 683. et 906. *Lelongium* T. I. p. 988. *Tannerum Bibl. Brit. Hib.* p. 749. quorum etiam aliae mendae ex hic dictis corrigi possunt. *Codex* noster cum notulis marginum, tum amplo *Indice* diligenter instructus est.

## CXLV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 191 Folior. 343. 4. currente calamo a diversis conscriptus, et, ut fons prae-